DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, I. MART.

M. CAROLO BOVVARD Doctore Medico, Ludouici XIII. Primario, Moderatore.

An Infantulis ſolum Lac nutricis?

QVIBVS conſtituitur homo iiſdem nutritur: conſtat ex animo & corpore, illo vt principio formali, ſimplici, immortali, diuino; hoc vt materiali, elementari, compoſito, caduco, ita vtrumque eodem nutritur cibo & potu celeſti & elementari. Scriptum eſt Deum ab initio formauiſſe hominem de limo terræ, ei fœminam adiutorium adiunxiſſe, inſpirauiſſe ſpiraculum vitæ, feciſſe vtrumque in animam viuentem, aſſignauiſſe cuique ſemen ſuum, benedixiſſe, & iuſſiſſe vt replerent terram; ſcriptum etiam eſt per Prophetam Verbo Domini cælos eſſe firmatos, & ſpiritu oris eius omnem virtutem eorum, ergo etiam multò, magis formationem & virtutem hominis, ſcilicet animæ rationalis ad Dei imaginem creatæ verbo & Spiritu Dei firmatam eſſe & in perpetuum ſtabilitam: Cur ergo de limo terræ & cur communem cum inanimatis, plantis & brutis tam vilem & ignobilem ſortitus eſt formationem, qui tam nobilem obtinuit ab ipſo ſummo opifice diuinam proſapiam? Vt per notitiam ſuæ vilitatis ſuam à Creatore profectam & pendentem generationem, nutritionem & conſeruationem agnoſceret, & ad immortalitatem lege gratiæ & fide promiſſam per ſummiſſam ignobilitatis humilitatem erigeretur: Galeni enim licet lege gratiæ non illuminati Philoſophica Theologia præſtantior, inquit, totâ Medicinâ, hæc eſt, ſummum mundi opificem voluiſſe communem eſſe homini cum reliquis creatis, inanimatis, plantis, & animantibus conformationem in hac infima colluuie vilium inſectorum & venenatorum, vt Authoris primi potentiam & bonitatem, vniuerſi ornatum, vtilitatem etiam & commodum homini (propter quem omnia creata ſunt) ſuo quæque modo demonſtrarent: modum autem quo Deus creauit hominis animum & corpus tanta ſapientia, artificio, potentia & prouidentia exactiùs non inquirerent, cùm omnem id ſuperet admirationem, ſed vt ſolum intuerentur & inueſtigarent quod creatum eſt manare à principio logico, ſapiente, artificioſo, nec aliundè quàm à ſupremo δημιουργῷ profecto; in quo conuenit cum Moſe, Hippocrate, Platone & Ariſtotele, eos arguens qui φυτικὸν, ἐπιθυμητικὸν & ψυχικὸν appellauerunt, quod eſt rationale & diuinum in homine, creatum vt ſuum conſtruat domicilium quod inhabitet vt auis nidum cui incubet, idque tam ex genituræ Pſaltriæ ſexto die excuſſæ τειχογραφῇ inchoata, & ex fœtus deſcriptione tota reliqua tam incluſi quam excluſi, (quod fuit antiquis tam Philoſophis quam Medicis ignotum excepto Hippocrate) manifeſtiſſimè detexit primus & declarauit.

ETENIM cùm primùm vterus ſemen vtriuſque parentis auidè prolectauit, & arctè complexus eſt, ſpiritum genitorem latentem ſuſcitat, vt materiam ad recipiendam ſuam formam rationalem animam diuina virtute impregnatam apparet, quæ cùm de cælo demiſſa, toto ſe corpore ſeminis miſcet, & informat, (quo tempore vteri ceſſat actio) & ingenito ſpiritu vtitur vt inſtrumento, quo totum corpus ſuum architectetur, ſecuta morem artis & naturæ, à minimis ad maxima & ab imperfectis ad perfectiſſima, progreditur, perexiguam & ſenſu ſimplicem molem, reipſa magnam & compoſitam partibus ſimilaribus, diſſimilaribus & organicis permultis fœcundam, diſcriminat, explicat & ſeparat, facitque vt hæc ſit chorium & placenta, hęc vaſa vmbilicalia, vena, arteriæ duæ & vrachus, hæc cutis, hæc caro, hæc os, ſua quæque temperie & conſiſtentia propria donata; illæ ſint diſſimilares ex ſimilaribus coagmentatæ, tali numero, magnitudine & ſitu diſpoſitæ, aliæ organicæ tali figura, cauitate, læuitate, & aſperitate diſtinctæ, ſingulis ſuis vſibus, officiis & actionibus edendis ad quas genitæ & deſtinatæ ſunt inſtructiſſimæ, velut præceptis & legibus quas nunquam transgrediuntur: non enim ex quolibet fit quodlibet, vt Moſi obijcit Galenus, ſed eſt artifex ita alligatus ſuæ materiæ vt ad aliam ſe non conuertat nec determinet, à ſpermatica ſpermaticas, à ſanguinea carnoſas, hanc ad oſſa, illam ad membranas, hanc ad marem, illam ad fœminam propriam ſecernat & definiat: Sed cur formatrix anima in pulmone fœtus formando, alendo, augendo, perficiendo & viuificando, alio ſe modo geſſit quàm in aliis corporis partibus? Quia eius natura ſimili ſibi materiâ in ſubſtantia, quantitate, qualitate, tempore & modo præparatâ indigebat, & quia proprios ductus non habebat, qui eam ſibi communicarent, neceſſe fuit perforare venam cauam aſcendentem, & arteriam ſibi contiguam & adiunctam venoſam per quam ſanguinem maternum ad pulmonis generationem & nutritionem tranferret, & valuulam carnoſam ſuſpenderet apertam affluenti ſanguini, opertam refluenti; & ab ortu deduceret tubulum nerueum peruium quem inſereret in venam arterioſam, per quem ſanguinem ſpirituoſum ad impertiendam pulmoni vitam perduceret, eas autem duas epiphyſes edito fœtu obſoleſcere, valuulam adhæreſcere & tubulum exareſcere contingit, quo tempore, quæ otioſæ fuerant partes reſpiratoriæ & vitales Thorax, pulmo & cor reſpirare cæperunt & operari, & de dextro ſinu cordis, qui propter ſolum pulmonem factus, ſanguinem recoctum & attenuatum vena arterioſa pleniſſimè exciperet, & copioſum in pulmonem famelicum, laxum, rarum, bibulum, aſſiduè motum & calore depaſcentem effunderet; atque de ſiniſtro ſinu per anaſtomoſes ſurculorum arteriæ venoſæ cum propaginibus ſemicartilaginoſis aſperæ arteriæ aërem ad cordis refrigerium & ſpirituum regenerationem in dilatatione attraheret, & fuligines in contractione expiraret, quibus ſi iunxeris admirabilem ſtructuram vaſorum à corde manantium, in dilatatione recipientium, in conſtrictione expellentium, & ne refluat materia in dilatatione aut ne effluat in conſtrictione impedientium, quis non dixerit cum Galeno artificium, ſapientiam & prouidentiam conformatricis omnem ſuperare admirationem humanam?

EST ergo quod dicamus mirabilis Domine, facta eſt ſcientia tua ex me, nec minùs mirabilis facta eſt tua conſeruatio & alimonia in me? Diuino enim opifici placuit animam & corpus hominis iiſdem nutriri quibus conſtituuntur, animam pane & vino celeſti, ſcilicet Verbo Domini ad æternitatem comparandam, corpus verò pane & vino terreſtri ad precariam caducæ vitæ longitudinem obtinendam, vtroque in diuinum & humanum ſanguinem & ſubſtantiam tranſmutato: Sanguis enim eſt proximè nutriens alimentum, in quod aliud quoduis conuertitur poſtremum: optimus is eſt qui ex pane, vino & lacte prę cæteris aliis cibariis & potionibus elicitur, cuique naturæ, ætati, conditioni, vitæ idoneus & proprius εὐτρόφος, εὔχυμος, εὔκρατος, εὔπεπτος εὐαλλοίωτος, εὐανάδοτος, εὔτρεφ@, optimæ conſiſtentiæ, odore & ſapore dulcis & gratus, nunquam faſtidioſus. Alimenta & potulenta omnia acida, acerba, auſtera, ſalſa, amara, acria fugienda, quia medicamentoſa aut venenata ſunt niſi admixtione contrariorum corrigantur aut prauis ſuis qualitatibus, detractione & ſeparatione ſpolientur, vt reddantur innoxia & ſalutaria, fœtarum & fœtuum, puerperarum & adultorum omnium triplici ſubſtantiæ, ſpirituoſæ, humidæ & ſolidæ reparandæ conuenientiora: ne putes tamen hæc ſola eſſe admittenda nutrimenta, ſed etiam alia quæ ratione artis & cauſarum inuenta ſunt dulcia, dulcibus enim nutrimur ſolis, quæ ſolum omne producit, & conſuetudo naturæ accommodat, aut obſeruatio poſt multa experimenta per effectus comprobat. Sed nulla ſunt tam vera, certa & ſecura quàm prędicta tria; conſideranda ſunt etiam haud ſegniter reliqua διαιτήματα, ex aëre anni temporibus, tempeſtatum mutationibus, ætatibus, regionibus, locis, habitibus, in ſubſtantia, quantitate, qualitatum gradibus primarum & ſecundarum, vtendi modo, tempore, ordine & pręparatione, non ſolùm in genere, ſed in particulari cuique ſua propria definienda ſunt.

SED cùm inter tot diſcrimina tam naturarum & ætatum hominum, quàm eſculentorum & potulentorum potior ratio ſanorum conſeruandorum, & primæ ac poſtremæ ætatis, infantulorum & ſenum tenellorum & inualidorum, per aërem cibum & potum eſſe debet, quàm cuiuſuis alterius naturæ & ætatis per vllas diętæ leges, maximè per puritatem aëris & aquarum, quæ cuique naturæ, ætati, & ſexui neceſſaria eſt, vt impuritas vtriuſque omnibus noxia: at verò qualitates vtriuſque primæ caloris, frigoris humiditatis, & ſiccitatis, & ſecundæ, tenuitatis, craſſitiei, denſitatis, raritatis, duritiei, mollitiei, lentoris & friabilitatis non cuiuis naturæ ſexui & ætati ſunt vtiles aut inſalubres, ſed aliæ ſunt aliis ita diſpenſandæ, vt ſimilia ſimilibus ad conſeruationem, contraria, contrariis ad emendationem adiudicentur: ſic debet eſſe panis ad vſum diſtinctio; qui ſit omnibus ambroſia confirmans & confortans cor, & reliquas partes, nempè vt ſit ſimilagineus ex adipe pollinis aut medulla tritici, lineo cribro excuſſorio ſubtiliſſimè traducta, aqua puriſſima tepefacta, cum ſale & fermento modico probè ſubacta, in panem ſufficienter coctum, redactâ, iuſculo vitulinæ carnis & pullaſtri iunioris aut euirati galli emollitum & maceratum, aut cum hydrelęo vel hydromelite, vel mulſo, vel butyro recente in panatellam ſorbilem, cui etiam vitelli ouorum ſolùm ſint admixti: rejecto pane cibario, αὐτοπύρῳ, furfuraceo, azymo: vinum pariter ſuas partes obtinet perneceſſarias & primas nulli naturæ, ſexui & ætati ſuſpectas, ſi iuxta pręſcriptas diętæ leges ſubſcribatur, aliis dilutius, ſenibus meracius, maximè hyeme; lene & generoſum ſit maturum, non muſtum, non dulce, non flauum, non fuluum, non craſſum, non nigrum, non auſterum, non aquoſum, ſed mediæ ætatis vinoſum, quod ſit cardiacum cardiacorum κατ' ἐξοχὴν præſentiſſimum & præſtantiſſimum, exhilarans, nutriens & viuificans, quibus ſi adiungas opſonia ſenibus aſſa potius hyeme, elixa æſtate, & inciſas aut intritas carnes tenèriores non repugnauero.

AST quis malus genius ante dentitionem νεόγνοις puerulis pulticulas ex farina triticea & bubulo lacte introduxit, impari fœtus ventriculo & inſueto graues & oneroſas, exiles venularum meatus obturantes, ventres opprimentes, flatibus diſtendentes, tormina parientes, vomitiones cientes, diarrhęas excitantes, vigilias, pauores, conuulſiones, deſtillationes, aphthas, febriculas, vermes, calculos, lienis tumores, meſenterij meatuum contumaces infarctus, herpetes, pruritus & alia quæ ſunt etiam prauorum lacticiniorum ἐπίγονα? Quorum cauſas mulierculæ falsò & ignoranter dentitioni attribuunt, cùm nihil ſit iſti ætati vtroque hoc alimento deterius, ſi à malè ſanis lac procedat. Nihil familiarius & vtilius ſi à nutricibus optimè conſtitutis, potiſſimum à matribus ſanis quæ immaniores ſunt brutis etiam ferocioribus, ſi quos bene temperatos genuerunt non alant; & nomen matris cum conductitia partiri velint; excuſationem tamen recipio, ſi ſociatæ matrimonio cum Imperatore, cum Rege generoſo, aut vt olim cum Pontifice aut alio quouis viro forti κυοτοκίαν lactationi pręferant, vt quod per ἰατρείας iuxta regulas Hippocratis inſtructas & pręfectas iungendis ad prolem generoſam connubiis, gaudeant numeroſa liberorum generatione ad ornandam Rempublicam aut ſuſtinendam maieſtatem & dignitatem, ne à familia ſua in aliam ſtirpem transferatur; malè ſanas pariter à lactatione liberorum ſuorum remouendas facile tulerim, modo ne ſibi ſimiles nutrices infirmas, graciliores obeſiores, iuniores, annoſiores, iracundiores, moroſiores, torpidiores, vinolentiores, menſtruatas & libidinoſas eligant, ſed optimè ſanas, quæ lac quale eſt morboſarum non habeant, ſalſum, amarum, acre, inſuaue, ingratum, craſſum, paucum, virulentum, noxium, quo nihil inſalubrius; ſed dulce, ſuaue, album ab initio liquidum, coloſtro repurgatum quale eſt optimè conſtitutarum nutricum, ſucculentarum, mediocris habitus, ætatis mediæ, amplarum venarum, actionum omnium laudabilium; ſic ſanæ puerperæ liberos ſanos conſeruabunt, & infirmæ ſuos malè ſanos veluti regenerabunt: Ad quæ munia natura duas mammas appoſuit pectori, obuias, protuberantes, ſpongioſas, laxas, velut lagenas affluente vndique per innumeras venas in glanduloſa earum corpora ſanguine, quem leui coctione dealbatum, facili ſuctione infantuli ſorbeant, recoquant in ventriculo, familiariorem ſuis partibus omnibus alendis faciant quo eas proluant & in ſuam ſubſtantiam promptè conuertant, eoque ſolo vſque ad nonum aut decimum menſem infantulos nutriri vult Galenus, & ſenſim poſt primorum dentium eruptionem vſque ad ablactationem, eos aſſueſcere paulò ſolidiori panatellæ ſorbili ſi ea indigeant; naturæ enim ea prouidentia lac tempore factum craſſius, longius ſufficit, ſic catechumenos lacte legis gratiæ priùs nutriendos Apoſtolus pręcipit, antequam ad myſteria ſolidiora admittantur, cur non ergo cum vtroque concludamus?

Ergo infantulis ſolum lac nutricis.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS MORAND Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LVII.